

ALEBRANDVS PRAESVL HAMBVRGENSIS.



A Lebrandus Becelinus dictus uitæ integratae & rerum cognitione apud Saxones in magno pretio fuit, Anno Christi millesimo tricesimo quinto. Itaque Hamburgense ecclesia uacante, eius loci pastor electus est. Is in primis negotia religionis magna diligentia disposuit atque decenti ordine omnia fieri iussit. Postea quoque politica tractauit, atque inter principes Imperij conspicuus extitit. Cum etiam uideret Vandalorum & Nordmannorum incursione multoties Christianorum fines uastari, auctor fuit ut Bremensis & Hamburgensis ciuitates muris cingerentur, & propugnaculis munirentur, ut hostibus ibi resisti posset. Itaque de sua ecclesia & Germanorum republika optimè meritus inter Heroas Germaniae merito numeratur. Is tandem moriens, Albertum virum optimum successorem habuit. Crantz. in Sax. lib. 4. cap. 39.